



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis  
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori  
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,

Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,  
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, & ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea, plura, ad Gubernium ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetiis, 1709**

Sententiæ declaratoriæ suspensionis contentæ in c. Dolentes, de celebr.  
Missar. Form. VII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

22 Et quamquam contraria praxis frequenter servetur in Curiis Episcopali. Regni Neapolitani, illam tamen dum Venusio eram Vicarius servare nolui, quia tum à jure, tum à DD. supra allegatis improbat, & aliis concordantibus citatis fusiū reprobat D. Raynald. obser. crim. supplēm. ad cap. 2. supplēm. 2. ann. 135. ad n. 147. & n. 172. Et ad summum ex vi p̄cepti ad informandam Curiam, & aliorum similiū; delinquentes poterunt solū effici, & reddi contumaces ad effectum, ut habeantur pro confessis, & convictis, aliis extantibus indiciis, & probationibus, & ut tanquam tales condemnari possint in pœnam patrati delicti, non verò ut valent condemnari in pœnam comminatam in p̄cepto, seu citatione, ut Div. Raynald. observat ibid. n. 143.

*De suspensione contenta in c. dolentes de celebrat. missar.*

Ut Divina officia studiosè, & devote celebrentur, p̄fertim in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesis Episcopi, aliis Ordinarii, evigilare debent. Quare si ad reformandam chorālum festinātiā, scurrilitatem, & inde votam psalmodiā recitationem, seu corporis compositionem, paternæ admonitiones, & charitas benigna Pastoris non juvant, nec profundit, potestas omnino adhibetur, & pœna suspensionis in hac Decretali Concilii Generalis Lateranensis sub Innoc. III. emanatæ contenta coercendi erunt refractarii, p̄misso Decreto sequenti.

### Sententiæ, sive Decreti Suspensionis.

#### F O R M U L A VII.

**V**īsa, & attenta informatione capta, ex qua constat Canonicum (sive Presbyterum) N. & Canonicum N. Decreti Concilii Lateranensis, & nostri Edicti, super devota, & studiosa Divinorum officiorum celebrationē, & intercessione, etiam post paternales admonitiones nostras, transgressores, & violatores existere, ipsos à divinis (seu ab officio, per tres menses suspendimus, & suspensiones totaliter declaramus, & denunciamus, & intimari, & ad valvas Capituli publicari mandamus.

#### N. Vic. Gen.

*N. Actuarius.*

#### S U M M A R I U M .

- 1 Laici sunt idonei Testes ad probandas scurrilitates Clericorum in Choro.
- 2 Edictum affixum in Sacrario, stat loco monitionis.
- 3 Canonici tenentur interesse lectioni Canonici Théologi.
- 4 Prætensiō præcedentiae, non excusat à residentia, quando Episcopus locum assignavit.
- 5 Canonicus primo receptus, an & quando locum cedat Canonico Presbytero,

- Secundo recepto, & stallum recuperenti, si fiat Sacerdos ostenditur, & n. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. & 13.
14. Presbyteri simplices, debent inter se præcedere juxta antianitatem suscepti ordinis Presbyteratus, etiam si aliquis ex eis sit Doctor, vel Vicarius foraneus..
15. Consuetudo immemorabilis nunquam censetur exclusa, & n. 16. & 17.
18. Consuetudo, quæ in loco viget, ut Vicarius foraneus præcedat alios Presbyteros, servanda est.

19 Vi-

- 19 *Vicarius foraneus, alias Presbyteros antianos non præcedit, etiam si sit Vicarius S. Officii.*
- 20 *Canonici, & alii Presbyteri Choro ad dii, quando dicantur transgressores dolentes de celebr. missar.*
- 21 *Episcopus non potest Beneficiati addere onera in fundatione non apposita, aut à Sac. Canonibus non imposta.*
- 22 *Ordinarii locorum condendis legibus, & statutis, non quod est melius simpliciter, sed quod est melius possibile velle debent.*
- 23 *Choro inservientes, simoniti etiam per Edictum, non se emendant, & inde voti persistunt, sunt sine venia suspendendi à divinis, etiam ex sola informata conscientia.*
- 24 *Episcopus diebus festis, interesse debet Choro, & afferuntur rationes.*

## ADNOTATIONES.

**I**X QUA CONSTAT. Si de transgressionibus legis Ordinarii, & aliis à jure prohibitis actionibus, juridicè constare non possit, ut pote, quia testes potentiam, & vindictam transgressorum formidantes, trepidant veritatem propalare: utendum, erit remedio Concilii jam insinuato in præcedenti formula, advertendo, quod ad probandum hoc crimen non solum sunt idonei testes clerici, & Presbyteri qui sedent in Presbytero, sed etiam laici extranei, qui dum in Ecclesia morantur observare, audire, & videre possunt actiones choralium prohibitas.

**Et nostri Edicti.** Hac clausula in formula expressa, commonetur Episcopus, Ordinarius ut in primordio sui gubernii debeat edocere capitula suæ Diæcessis, quomodo in Choro, sit psallendum, qua pausa, & co npositione corporis, & devotione, juxta Formulam à me datam sive aliam similem, & obseruantiam ordinationum, & præceptorum injungere non solum sub pena punctatarum, sed etiam suspensionis à Divinis, nam post hujus Edicti evulgationem, choro inservientes, si fiant transgressores, possunt puniri absque alia monitione, cuius loco

succedit Edictum quod loco patenti in Sacrario affixum stare debet.

**Et intercessio.** Præter chori intercessiō, debent Canonici intervenire 3 concioni tempore quadragesimæ, nec non lectioni facienda per Canonicum Theologum qui idcirco tenetur diebus præscriptis explicare Sacr. Scripturam, nec potest ab hoc onere se eximere sub prætextu, quod non habeat auditores, ut declaravit Sac. Congr. Concili in Fundana 15. Octobris 1618. lib. 4. Vist. Sacr. limin. quam per extensum refert Crisp. inter Decreta Vist. Apostolic. quæ typis Montis Falisci edidit anno 1703. c. 5. §. 2. num. 1. his verbis -- lectioni Sacr. Scripturæ teneri saltem assistere Canonicos, ideoque Canonicum Theologum injunctum sibi munus, hoc certè prætextu detrectare non posse, quod nullum habeat auditorem, ac proinde ab Episcopo cogendum esse statutis diebus ad ipsius Sacræ Scripturæ expositionem. Et concordant aliae declarationes, & auctoritates à me allegatae part. 1. tit. 2. ad form. 5. num. 8. & 9. par. 2. tit. 16. ad form. 10. num. 6.

Et quatenus aliquis ex Canonicis sive 4 Præbendatis, Officiis Divinis in Choro, Concionis, aut lectioni Canonici Theologi, interesse recusaret prætextu præcedentiae, & dignioris loci non dati non debet per hoc excusari; sed subtractione distributionum, & contumacia durante aliis penitentibus erit multandus; quoties ab Episcopo (qui omnes controversias inter Ecclesiasticos de præcedentia componit appellatione remota, Concil. Trid. c. 12. sess. 35. de regular. ibique Gallemart. n. 1. Gayant. in manual. verb. præcedentia num. 1.) fuerit assignatus locus in quo stare, & sedere debeat saltem provisionaliter, donec in petitorio controversia decidatur.

Et quia frequenter talis controversia 5 oriri solet inter Canonicos diversi ordinis, puta quia Canonicus Diaconus primo loco in Capitulo, & Choro receptus non vult locum cedere Canonico Presbytero postea proviso: vel Canonicus Diaconus primo receptus, qui locum cessit Canonico Presbytero secundo proviso, factus Sacerdos vult locum recuperare, & alium à stallo depellere, est scien-

sciendum, quod ad servandum ordinem hieraticum in præminentia, est atten-tenda ordinis prærogativa, juxta di-finitionem *text. in c. statutus de major. & obed.* &c ideo in primo casu Sacr. Congr. Rituum sœpè sœpius declaravit, quod Canonicus Subdiaconus, aut Diaconus, te-neatur locum dignorem cedere Canonico Presbytero, licet postea recepto, & ad-missio, ut patet tam ex Decretis antiquo-ribus, quæ congerit Pignatell. *consult. 55. n. 12. & seqq. tom. 3.* quam ex aliis recen-tioribus, quæ à me relata fuerunt *tom. 1. tit. 2. ad form. 4. num. 23.* & hoc non ob-stante Ecclesiæ, in qua recipitur contra-ria consuetudine, quæ abusus dicitur ut habetur in Decreto per extensum adducto à Ricc. *collect. 1446.*

*In secundo vero casu, Panimoll. dec. 1. annot. 8. n. 26.* tenet, quod ubi præbendæ non sunt distinctæ, sed omnes requirunt ordinem presbyteralem, præcedentia competat secundum ordinem receptionis, adeò ut si primus receptus non sit Sacer-dos, donec ordinetur, præcedat Sacerdos secundo receptus; sed postquam promo-tus fuerit ad sacram presbyteratus ordi-nem, habere debeat præcedentiam, & locum secundum tempus suæ receptionis, prout si à principio fuisset presbyter, cum non amiserit suum jus & quod Canonicus Presbyter secundò receptus, debeat libe-re dimittere locum primo recepto, & de-inde Presbytero ordinato restituere, & eum in omnibus redintegrare, & allegat Barbos. *in sum. decis. Apostol. collect. 91. n. 5.* & alias auctoritates.

*8. Huic opinioni assistit regula, qui prior est tempore, prior est jure: ex qua prove-nit, quod Canonicus, qui prius capi possestionem debeat habere præcedentiam in Choro, in danda voce, & aliis juribus, ut firmant Gonzal. *ad regul. 8. §. 3. proem. num. 24. & 25.* Ricc. *in prax. irr. for. Ec-cles. part. 1. resol. 565. num. 4.* & ratio ea est, quia jus præcedentiae non oritur ex dignitate, vel prærogativa alicui concefa sed ex sola possestione, & illius exer-citio, ut ajunt Gonzal. *gloss. 5. § 9. num. 116. & Lotter. de re benef. lib. 2. quæst. 25. n. 38.* & alii ab eis allegati.*

*9. At licet hæc de juris rigore urgeant:*

nihilominus videtur dicendum, quod etiam in d. secundo casu, Canonicus se-cundò receptus, qui tanquam Presbyter præcedentiam obtinuit, debeat manu-teneri, quamvis Canonicus Diaconus primò receptus postea fiat Sacerdos; quia jus prælationis semel adeptum, nunquam amittitur, ut Sac. Congreg. Rituum declaravit, telle Pignatell. *dit. consult. 55. num. 25.* Nec subsistit in jure prout dicit Panimoll. quod Canonicus Diaconus per cessionem loci Canonicus Presbytero factam non amiserit jus, & ideo debeat jam ad Sacerdotium pro-motus redintegrari, quia hoc jus non potest stare in suspenso, nisi admittatur absurdum contrà dispositionem *text. in 10 l. fin. ff. commun. præd. immo* juris est quod semel extinctum, & amissum, amplius non reviviscat, nisi per Principem ite-rum concedatur, ut in terminis præ-identiae ait Navar. *conf. 10. n. 5. de ma-jor. & obed.* etiam si postea causa amisi-onis cessaverit Cyriac. *contr. 310. num. 113. 114. & 115.* Et hinc est, quod in provisioне Beneficii jurispatronatus, proximior, qui est præalentandus si tem-pore præsentationis non est capax, non tollit jus quæsumum remotiori præenta-to, quamvis habilitas proximioris super-veniat, Card. de Luc. *de jurep. diso. 45. num. 6.* immo proximior in præjudicium remotioris jam præsentati, & habentis requisita, nec est dispensandus à Papa, ut respondit Sacr. Congregat. Conciliu in una Bononien. 16. Julii 1695.

Neque obstat regula, qui prior est tem-pore, prior est jure: quia habet locum quando cætera sunt paria, & non habet locum quando est expressum in jure con-trarium, ut expressum reperitur in *dit. c. statutus de major. & obed.* ut respondet Navar. *in d. conf. 10. num. 8. & 9. tit. ed.* Nihilque facit distinctio Præbendarum: quia sive sint distinctæ, sive non, sem-per viget ratio ordinis hierarchiæ: ut qui prior est in ordine, in loco etiam præ-cedere debeat: & demum non obstant rationes, & authoritates in contrarium suprà allegatae: quia in materia præ-identiae inter Ecclesiasticos, standum est declarationibus Sac. Congr. Rituum, ut monet

monet Card. de Luc. de preeminen. disc.  
23. num. 4.

Si autem præcedentia controversia oriatur in aliis Ecclesiis, in quibus Horæ Canonice, & alia Divina Officia persolvuntur, prout in Collegiatis, vel in receptitiis, in quibus Clerici, & Presbiteri patrimoniales, ad participationem reddituum massæ communis non admittuntur, nisi illis more Canonorum inserviant: tunc eadem regula servanda erit, ut qui prius presbyter fuerit ordinatus aliis postea ordinatis præcedere debat, etiam si inter eos adsit Doctor, vel Vicarius Foraneus Episcopi, qui alios Presbiteros non procedit ex hoc solo, quod sit Vicarius: quia ratione hujus officii, nulla ei competit præcedentia in Choro, sessionibus, processionibus, & aliis actibus, & functionibus Ecclesiasticis, ut plures Sac. Rituum Congreg. declaravit, cuius decreta congerit Barbos. de Canonic. & Dignitat. cap. 5. num. 57. non obstante contraria consuetudine, idem Barbos. loc. cit. c. 18. num. 33. & in summ. decif. Apostol. collect. 718. n. 2. & 3.

15 Verumtamen per hæc Decreta, non censetur exclusa consuetudo contraria immemorabilis, cui nunquam derogatur, nisi expresse dicatur, prout planum est, in lege Cærimonialis, in Decretis Concilii Trident. & in Constitutionibus Apostolicis. De libro enim Cærimonialis, quod non tollat immemorabilem, jam sæpè declaravit Sac. Congr. Rit. prout refert Barbos. in summ. decif. Apostol. collect. 78. numer. 5. quamvis in Bulla confirmatoria sit expresse derogatum consuetudinibus contrariis, & in Salamantina 10. Januarii 1604.

16 De Decretis Concilii Trident. habentibus Decretum irritans, & clausulam sublata, quod non tollant immemorabilem, jam plures tenuit Rot. & præcise in Legion. Parochialis 27. Aprilis 1703. §. Nec dici potest coram Pio impresa post me par. 2. decif. 47. in qua aliae Decisiones allegantur.

17 De constitutionibus Apostolicis, quod nunquam censeantur derogare immemorabili, nisi expresse de immemorabili mentio fiat, firmavit eadem Rot. in Bur-

gen. juris deputandi Curatum 21. Februar. 1684. coram Albergato §. Corruere pariter impressa post me distinct. part. 2. decif. 12.

Et sic, si in aliqua Ecclesia ex Consuetudine immemorabili, Vicarius foraneus, ratione Officii alios Presbiteros, quamvis antianos præcedit, servanda est quia in jure honorifico præcedentia ablata deformitate, totum facit consuetudo, Rot. coram Seraph. decif. 716. n. 17. Panimoll. d. decif. 1. num. 19. & 20. & favore Vicarii foranei servandam esse, respondit quoque Sacr. Congreg. Episc. & Regular. prout referunt Nicol. in Flocc. verb. Vicarius n. 81. & in lucubr. can. lib. 1. c. 28. n. 25. Pignatell. consult. 83. num. 4. tom. 4. Præcisa autem hac consuetudine, Vicarius foraneus alios Presbiteros antiquiores non præcedet, etiam si esset Vicarius Tribunalis S. Officii, ut notat Caren. de Sanct. Offic. par. 1. tit. 11. §. 1. n. 2.

Transgressores, & violatores existere. 20 Transgressor, & violator decreti Concilii Lateranensis relati in d. c. dolentes dicuntur, qui post evulgationem Edicti Episcopi super illius observantia, plures punctatus non se emendat, & monitus non se abstinet, a colloquisi vanis, risibus, nugis, sumptione tabacchi, legendis litteris, & fabellis: item si monitus ut deponat coronam fictitiam, si non spallit, vel psallit oscitanter, & syncopando; si sedit & quando standum est, vel non genuflectit, & cæremonias à rubrica præscriptas spernit inde votè complet: hæc & similia cadunt sub censura d. decreti. Cæterum si Episcopus in Edicto, præter ea, quæ tempus, ordinem, devotionem, corporis compositionem, psalmodiæ integratatem, & paulam juxta rubricas, & morem Ecclesiarum respiciunt, aliquid aliud præciperet, vel onus adderet, ad quod nec de jure, nec ex laudabili consuetudine aut statuto, Canonici, vel Clerici non tenentur, si illud non observarent, nec executioni mandarent, non dicerentur transgressores Edicti, nec idcirco suspendi, aut alio modo puniri possent; quia Ordinarium nova onera in fundatione Beneficiatis, & aliis Clericis à Sac. canonibus, & Conciliis non imposita, addere 21 seu augere non potest, Barbos. supra Con-

cil.

cil. Trid. c. 3. sess. 25. de reform. n. 7. Ricc. in prax. par. 4. resol. 468. n. 2. ubi hoc ampliat, etiam si aliquo tempore ex sua voluntate praestiterint, Garc. de benef. p. 7. c. 1. n. 111. & 112. Eagn. in cap. conquerente n. 24. & 25. de cleric. non resid. & etiam si consensus Canonicorum antecessorum intercessisset, Ricc. loco cit. resol. 463. per tot. S. Congr. Conc. in Sarnen. 3. Julii 1690. in qua responsum fuit, Episcopum non potuisse addere onus Penitentiariæ, Canoniciatui Erecto per Testatorem cum solo onere missarum, & in Asten. 14. Feb. 1699. in qua fuit responsum, onus personalis residentiæ, & celebrationis missarum per se ipsum a fundatore non injunctum, non potuisse addi per Executorem Testamentarium, neque in provisione Episcopi.

22. Quamobrem Episcopi, & alii Ordinarii, quoties Edicta, & Statuta Synodalia promulgant, debent respicere ulterius, non solum ad jus purum, & rigorosum sed etiam ad homines, ad loca, & ad tempus, quibus, vel in quibus leges sunt constituedæ: nam legislator, qui debet ordinare hominem in finem, non debet respicere in legem absolute, sed prout est applicabilis, & conveniens eis, qui sunt ordinandi per legem in ultimum finem, & sic non quod est melius simpliciter, sed quod est melius possibile velle debet, ut bene advertit Sebas. Medic. tom. 1. in repetit. c. erit 4. dist. n. 55. post tract. de legib. & stat.

23. Suspendimus. Qui in Choro Divina Officia inde votè, & inordinatè recitant & persolvunt, postquam moniti sint etiam per Edictum, & non se emendent, sunt absque venia suspendendi à Divinis in totum, vel à celebratione missæ tantum, aut ab ingressu Ecclesiæ arbitrio Episcopi, ut ait gloss. in clém. cupientes, verb. suspensi de pen. quia Decreto Concil. Lateranensis (quod absolute præcipit, ut studiosè, & votè celebrentur ibi --- districte præcipimus in virtute obedientiæ, ut Divinum Officium nocturnum pariter, & diurnum studiosè celebrant, pariter & devote) recusant obedire, & ideo qui necit sacris parere canonibus, nec sacris administrare est dignus Altaribus, ut inquit D. Gregorius in c. bac confona 25. quæst. 1. hocque faciendum erit etiam sine processu,

& ex sola informata conscientia, juxta modum supra in præcedenti formula insinuatum.

Ut autem Canonici, aliique Choro ad dicti, & præsertim in Cathedralibus, diligenter intersint, & devote Divina Officia persolvant, remedium efficax est præsentia Episcopi, qui si juxta monitum c. Episcopus de consecr. dist. 3. saltem diebus festis Choro intererit, defectus tollentur, desides erunt providi, incompositi, modesti, & religiosi, Curlores, & Syncopantes, fient graves, & metro sonori, ut monet Navar. in Commentar. de oration. c. 5. n. 16. ubi quod ab hac interestentia Episcopus se excusat diebus Dominicis non sit: nam Regis ad exemplum totus componitur Orbis, nec sic inflectere sensus humanos Edicta valent, ut vita Regentis, ut ait gloss. marginalis in cap. magnæ verb. agitur de vot. & vot. redempt. & ita à loco Sancto removebitur irreligiositas, & laici non vocitabunt ubi est Deus Clericorum; imò sculpere poterit in una Chori parte illud aphorismum D. Augustini. Hic versatur in corde, quod versatur in ore. Et ex alia versus Hic.

*Non vox, sed votum, non musica cordula, sed cor.*

*Non clamor, sed amor pulsat in aure Det.*

*De suspensione ferenda contenta in cap. consequens est 88. dist.*

De negotiis Clericis prohibitis, & illicitis plura dixi in par. 1. tit. 5. ad form. 9. & in Append. pag. 357. & seq. & p. 2. tit. 16. ad form. 1. n. 22. Hic autem de pena suspensionis qua coerceri debeant alia pauca addenda sunt. Quare si ex processu ad instantiam Fisci, vel partis constructo constet, aliquem Clericum in sacris constitutum, vel Beneficiatum, esse negociatorem, vel aliquid officium, seu exercitium in honestum, & illicitum exercere, & Ordinarius velit illum censura suspensionis punire, ad sequentem declaratoriam deveniet.

Præterea tenentur Canonici in habitu Canonicali accedere ad domum Episcopi, & illum associare ad Ecclesiam cum Cappa accedentem, & eundem in redditum comitari, etiam Ecclesia distet à domo Episcopi.

Episcopi per spatum non solum sexaginta, sed centum sexaginta passuum ut ex Decretis Sacr. Congreg. Rit. declaratum pluries fuisse testantur Gavant. in manual. Epist. verb. Canonicorum munera erga Episcopum in additione n. 1. 2. 3. & 4. Barb. de canonic. cap. 32. n. 2. 3. 4. & n. 22. & 23. Et quatenus renueret (nisi in contrarium immemorabilis consuetudo adesset) posset illos ad hujusmodi obsequium prestandum etiam censuris compellere, per ea, quae late probat Pignatell. consult. 83. per tot. tom. 5. Cum enim Cæremoniale lib. 1. cap. 15. id fieri per Canonicos mandet, per verbum debent, quod jussum, & parendi necessitatem significat, clement. attentes, verbo debeat de stat. monach. dubium non est, quin possit hanc vim coactivam exercere, & juris remediis uti. Verum est tamen, quod in hoc Episcopi prudentia potius, & suavitas, quam juris rigor effulgere debet: & nunquam excommunicationis remedium adhibere, prout dixi in par. 2. tit. 13. form. 2. n. 10. pag. 43.

## Sententiae Declaratoriae.

## F O R M U L A VIII.

**V**Iso, & attento processu constricto contrâ Presbyterum N. inquisitum *de licita negociactione* (*vel de illicito exercitio*) ex quo constat de spretu nostræ monitionis, & de illicita negociactione: *eoque monito ad dicendum causam, quare non deberet pœnis sacrorum canonum subjici, & nihil quod relevet deducto, eum à Divinis in totum suspendimus, & suspensum declaramus & denunciamus;* reservato nobis jure contra eundem ad alias pœnas arbitrarias graviores procedendi, quatenus post intimationem præsentis nostri Decreti à negociactionibus (*vel illicito exercitio*) non desistat, & intimari mandamus.

(N. Vic. Gen.)

N. Actuarius.

## S U M M A R I U M .

- 1 Negociatio est triplex &conomica, politica, & lucrativa, & declaratur divisio.
- 2 Clerici pauperes de licentia Episcopi possunt conducere prædia ad colendum, & exercere opera rusticalia, & num. 3. Dummodo opera non sint sordida, num. 4.
- 3 Clerici etiam si pauperes sint, non locant operas suas ad arandum, vel fodendum, quia haec reputantur, in honesta: neque in propriis bonis rusticalia agere neglectis muneribus ipsis incumbentibus.

- 6 Clericus Beneficiatus non potest neglectis oneribus Beneficii operas suas locare prætextu paupertatis.
- 7 Opinio glorie prefertur opinioni alterius Doctoris.
- 8 Referuntur objecta Parochorum, qui missam Parochialens pro Populo renunt applicare, & diluuntur, n. 9. 10. 11. & 12.
- 13 Clerici plura facere possunt, quæ non cadunt sub negociactione illicita, & enumerantur.
- 14 Clerici, qui habent sufficiens Patrimonium, vel Beneficium, aut honestum exercitium non possunt exercere negociactionem lucrativam.
- 15 Sacerdos, qui utitur orationibus, vel exorcismis ad depellendos morbos, ab Ecclesia non approbatis, illicite agit